books2ebooks.eu

LIDENIUS, PETRUS SVENONIS

Oratio panegyrica quâ examinatur quinta pars sive cento visionum G. Reichardi: . . . Die 7. Julij Anno 1647. habita in Acroaterio Synodali Acropolis revaliensis â Petro Svenonis Lidenio,...

[1647]

books2ebooks.eu

Kungliga Biblioteket

National Library of Sweden

EOD - Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 12 europeiska länder!

Tack för att du väljer EOD!
Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

■ Få samma utseende och känsla som med originalet!
■ Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
■ *Sök:** Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
■ *Klipp & klistra:** Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).
*Ej tillgängligt i varje e-bok.

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.
■ Villkor för användning: https://books2ebooks.eu/csp/sv/nls/sv/agb.html

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 40 bibliotek från 12 europeiska länder denna service.
Sök böcker tillgängliga för den här tjänsten: https://search.books2ebooks.eu
Mer information finns tillgängliga via https://books2ebooks.eu boken.

LIDENIUS, P. S.

F1700
Br. 7976

Sv. Sam.
Före 1700
Litt.
Nylat.
Lat. tal
(Br)

Exemplaret har tillhört Ehrenströms bibliotek
och köpts del försäldes på auktion hos
Sotheby, London den 20 okt. 1980.
Lärdomsbiblioteket och Tryckeriet
och köldes vidare till KB.

Pris: 1.200 kr.

acc. nr 1981/5.

Boktjänst sp. 517.

In Nomine Domini nostri Jesu Christi:

ORATIO PANEGYRICA,

quâ Examinatur

Quinta Pars, sive Cento

VISIONUM G. REICHARDI:

Horrendi in eodem contenti errores perstringuntur; inconcussisq; rationum momentis adstruitur, Visionistam istum, non Divino aliquo ductu allectum; sed Diabolico œstro percitum, tàm impia, tàmq; erronea Orbi Christiano obtrudere Phantasmata:

Conscripta,

& in præsentia

Illustrissimi Dn. Gubernatoris,

Reverendissimi Dn. Episcopi,

Virorumq;

Nobilissimorum, Reverendorum, Clarissimorum, Consultissimorum, Venerabilium, Præstantissimorum, Spectatissimorum, Ornatissimorum, & Humanissimorum,

Tàm de ordine Senatorio Provinciali, reliquâq; Nobilitate; quàm de primario Clero Acropolitano, Diœcesano & urbico, Ordinibusq; aliis,

Die 7. Julij Anno 1647. habita in Acroaterio

Synodali Acropolis Revaliensis

à

PETRO SVENONIS LIDENIO, Phil. M.

Sch. Rev. Rectore, & Consist. Reg. Adsess. ordinario.

Dorpati imprim. Johannes Vogel/ Acad. Typogr.

Rev. et praeclariss. viro Dn. M. Sim
Rectori in illustri Acad. Albertina Ma
[illegible] prof. desiderissimo praeceptori [illegible]

In Nomine Domini nostri Jesu Christi:

ORATIO PANEGYRICA,

quâ Emanuinatur

Quinta Pars, sive Centro

VISIONUM G. REICHARDI:

Horrendi in eodem contenti errores pertrin-
gunt, introducti, rationum momenta adfruitur, Visioni-
bus istum, non Divino aliquo dono allectum, sed Diabolico
cultu pertentum, tam impia, tamq; erronea Orbi
Christiano obtrudere Phantasmata:

Conscripta,

& in praesentia

Illustrissimi Dn. Gubernatoris,
Reverendissimi Dn. Episcopi,

Illorumq;

Nobilissimorum, Reverendorum, Clarissimorum, Consul-
tissimorum, Venerabilium, Praenobilissimorum, Spectabilissimorum,
Generosissimorum, & Humanissimorum,

Tam de ordine Senatorio Provinciali, reliquâq;
Nobilitate, quam de primario Clero Archiepiscopatus, Dio-
cesanis & urbico Ordinibusq; aliis,

Die 7. Julij Anno 1647. habita in Academia
Aboensi Archiepiscopatus Regalibus,

à

PETRO SVENONIS LIDENIO, PIM.
Sch. Reg. Regiore & Consist. Reg. Adlect. ordinario.

Dorpati Imprim. Johannes Vogelius Acad. Typogr.

Illustrißimo & Magnificentißimo
Comiti ac Domino,

DN. ERICO Grenstierna/
AXELII F.

Comiti in Gödra Möhre / L. Baroni in Kimitho/
Dynastæ in Eyholmen/ Tidöön/&c.
Ducatus Æsthonici Gubernatori inclyto, Arcis
Revaliensis Toparchæ generali, Judiciiq; Provincialis
Præsidi Eminentissimo;

Domino atq; Mecœnati suo Gratiosißimo,

Salutem animæ & corporis, Spiritusq; Sancti in rebus
gerendis auxilium p. p.

Illustrissime Comes, Domine Gra-
tiosissime;

CHristianus Magistratus, Vtriusq; Decalogi Tabulæ Custos, uti audit; ita revera est & cluet: proinde ejus est, non saltem rem gerere politicam, providendo ut συμβίωσις *sive societas civilis, inter Subditos intemerata vigeat, cuivis Civium suâ vitâ ac re ma-*

nente sartâ tectâ: sed vel inprimis suarum est partium, rei satagere Ecclesiasticæ, quo nimirùm sincerus Dei floreat cultus, (quâ ex scaturigine, & temporalis, & æterna hominum salus salit) sublatis è medio omnibus, quibus idem vel labefactatur, vel prorsus averruncatur; uti sunt omnes hæreses, & quæcunq; ex limpidißimis Israëlis fontibus non haustæ de rebus Divinis opiniones. Hoc modo rerum moderandi summam, Specimina edidere priscis temporibus Moses, Josua, Samuel, David, Josias, Josaphat: Non ita pridem autem, Divus Gustavus primus; Carolus Nonus; & incomparabile illud Monarcharum Decus, Divus Gustavus Adolphus Magnus. Ad exemplum tam Divinorum Heroum moderna nostra Regina Augustißima, Imperio præest; quâ in re fidelißimam R. S. M.ti operam navant, Illustrißimi Dn. Proceres Regni, videlicet Quinque illi Celsißimi Primates, nec nõ cæteri Consiliarij Inclyti, Provinciarumq; singularum Gubernatores optimi. Hinc dulcißimâ in patriâ, adglutinatisq; Provinciis maxima efflorescit lætitia & exultatio,

Littora ut halcyonem resonent, & acanthida dumi.

Quod

Quod si autem ulla alia ad suavissimam Patriam quoquo modo pertinens Provincia, tali de Magistratu sibi quod gratuletur habeat: Essemus sanè nos hujus Ducatus & Inquilini, & Indigenæ, omnium ingratissimi; si talem esse Illust. V. Excel. Illustriss. Dn. Comes, Gubernationem non agnosceremus; omnemq; subjectionem, amorem, observantiam ac venerationem, Eidem non deferremus. Ut enim non memorem, quàm laudabiliter Illust. V. Excel. res forenses justitiæ æquilibrio pensat; Ecclesiasticæ rei vigor, floridiorq; status, quantæ Illust. V. Excel. curæ sit; non uno nobis, quorum officio ea etiam incumbit, Illust. V. Excel. declaravit. Verbi sanè Divini amore se flagrare tàm frequenti ad ejus auscultationem accessu, tamq; crebro SS. Cœnæ usu, Illust. V. Excel. satis manifestat; aliisq; piissimum exemplum, ad studium simile, decenter & laudabiliter præbet: Quàm etiam ex animo detestetur Illust. V. Excel. omnia, quæ salutifero Dei Verbo quocunq; modo repugnant; ut alia taceam, responso suo, mihi, quando Illust. V. Excel. ad præsentis orationis auscultationem humiliter invitabam dato professa est: quodq; se tam promptissimam, tam faventissimam ad audiendum eam, utut aliis ne-

gotiis expediundis tunc occupatißima erat Illuſt. V. Excel exhibuit. Quæ omnia, ut ingenuus & humilis ſubditus ego ponderans, ſæpiùs cogitavi, qui humilis meæ ſubjectionis gratitudinisq; indicinam aliquam, Illuſt. V. Excel deferrem: hâc quoq; vice id utcũq; efficere chartaceâ hâc litatione mens fuit: Quam ut Illuſt. V. Excel eodem favore ſuſcipiat, quo orationem hanc, dum vivâ proferebatur voce, admiſit, auribusq; uſurpavit; meusq;, ut hactenq, ita porrò Gratioſiß. Dominus atq; Mecœnas eſſe dignetur, precibus contendo humiliter. DEUS ter Opt. Max. Illuſt. V. Excel cum Illuſtriß. Dn. Parente, Regni Sveo-Gothici lumine, columine, ac ornamento inæſtimabili, totâq; Prælustri Familiâ, in Regnorum Sveciæ, totiusq; orbis Chriſtiani emolumentum ac Decus conſervet diu Florentiß.am.

Illuſt. V. Excel:

humil:

M. Petrus Lidenius.

Cœlestis noster infallibilis Doctor, animarumq; nostrarum fidelissimus Episcopus Jesus Christus, A. I. gravissimam, summêq; necessariam hanc in Evangelio B. Matthæi nobis reliquit paræneſin: Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων, ἔσωθεν δέ εἰσι λύκοι ἅρπαγες. Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς. Matth. 7. v. 15.

Cavete verò vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à fructibus illorum cognoscetis eos.

Hanc admonitionem veritatis Doctor, non in privo aliquo loco, ad Discipulos saltem suos protulit; sed in celsi cujusdam montis regionis Galilæicæ jugo, ad ingentem hominum numerum, ex universâ Galilæâ, ac territorio Decapolitano, nec non Jerosolymis, à Judæâ & regionibus trans Jordanem sitis, ipsi aggregatum; idq; non mussitans, sed ἀνοίξας τὸ στόμα aperiens os, h. e. seriò, & singulari quâdam παῤῥησίᾳ pronunciavit ac exsertavit: innuens quàm magno interest opere, non tantùm Ecclesiam Dei docentium; sed etiam omnium ad cælestem beatitudinem rectà adspirantium, omni excusso veterno, videre & cavere, ne à falsis doctoribus & ductoribus abduci se patiantur in avia tesqua, & à cælesti arcta semita declinantia, inq; infernale barathrum tendentia præcipitia. Matth. 5. v. 2.

Intelliguntur enim hîc Pseudoprophetarum nomine, non tantũ qui vana futurorum prædictione decipiunt; sed etiam qui vel vetera erronea dogmata interpolant, vel nova cudunt, eaq; sive apertè, quasiq; pro vi & virili obtrudunt, sive clancularia quodam modo

modo insinuant, atq; inoculant. Venire hos, dicit Salvator, *in vestitu ovium*, h. e. simulare innocuam simplicitatem, Zelum Dei, ac studium cælestis veritatis, ut non modò oves; sed etiam ovium Pastores forinsecùs appareant, quâ larvâ exuviisq; detractis, demùm eos lupos esse rapaces, dispalescit.

§. 16. Larvam autem illam detrahendi medium innuit simul Dominus, dùm fructus illorum considerandos; & ita, quid æra lupinis differant, pensitandum monet. uti enim arbores externâ specie generositatem mentientes, fructibus, qualis sint genij, se produnt: ita hujus furfuris Doctores, dum nil nisi sana, sancta & orthodoxa, primùm crepant, inq; communi vitâ optima quæq; præ se ferunt: impietatem, idololatriam, & nulla non erronea tamen subdolè immiscent, securitatis collyrio homines delibutos reddunt, postliminioq; in desperationem eos præcipitant. Ita se rem habere, & semper habuisse, cum omnium Hæresium Primiseriis, & omnium temporum testantur historiæ, & quotidiana statuminat experientia. Quantam sanctimoniam præ se ferunt Papistæ! Quantam integritatem Calvinistæ! Quantam devotionem Svvenckfeldiani! Quantam pietatem Photiniani, &c. quâ sanè quid sub prætextâ celent, non ita facilè obvium.

Simili pietatis, devotionis, sanctimoniæ, ac integritatis glaucomate, adeòq; planè ovillæ innocentiæ obvolucro, errores, deliria, blasphemias, & ad decipiendos homines excogitata figmenta atq; pigmenta sua, occulunt novi illi nostræ ætatis phanatici; qui novi Prophetæ, Fratres Roseæ Crucis, illuminati Menniſtæ, &c. audiunt: Quiq; idem cum his monstri alunt, Visionistæ. Namq; hi omnes peculiari quodam Divino ac

cœle-

cœlesti afflatu se lustratos jactant, divinaq; mysteria, quæ hactenus omnes latuisse, & ne ab ipso quidem Christo & beatis illius Apostolis patefacta fuisse prætendunt, evidentissimè partim sermone mutuo, partim Angelicis legationibus, partim internis suggestionibus sibi à Deo manifestata esse ganniunt. Hi quoq; dum diversis, ovium erronearum instar, palantur in provinciis, mera ovilla balant, nemini se litem movere, facile omnes perferre ac perpeti asserunt, αὐτάρκεις se esse, atq; nec gloriam mundanam, nec opes, nec seculare quippiam affectare, saltem ut homines pœnitentiam agant, resq; humanæ benè habeant, avere se ajunt. Scripta verò eorum qui penitius pensitaverit, referta ea atq; inoculata offendet, variis partim dudum, partim nuper exortis, & ab Ecclesiâ Christi damnatis hæresibus, quibus, cum ausu planè Diabolico, hac nostra tempestate, Ecclesiam Dei in Germania turbare auspicati sint, redauspicati pleriq; fraudem subolfacientes, Orthodoxi istius nationis Theologi; adeoq; latentem in herba anguem prodendo, ne virus illud, quo antiqvus serpens puriores nostras Ecclesias inficere suscepit, tollutîm planèq; inoffenso motu serperet, impediverunt.

Hoc cùm viperæ istæ sibi persentiscebant objectum illis in locis obstaculum, provinciam hanc veneno suo intoxicare sategerunt: quod illis adeò successit, ut etiam in viscera reip. hujus nostræ penetrare virus inciperet, inventis hîc nonnullis, qui anguem illum emissitium Laurentium Matthæi in sinu quasi foverunt, & protelare ac diffundere venenum ejus, quoquo potuerunt modo, non dubitarunt.

Hinc plurimùm Reverendus Dominus Episcopus

noſter, memor demandatæ ſibi à Deo, & à S.R.Maj provinciæ, muneris videlicet excubitorij, pro carè empto Jeſu Chriſti grege, hoc Eſthonico in Ducatu, publicum quoddam ſcriptum ad Miniſterium Diœceſanum adſcito ſuffragio Capitularium promulgavit, quo inſinuatum eſt Reverendis Dominis Paſtoribus, quas inſidias Diabolus hoc tempore Orthodoxæ noſtræ Eccleſiæ moliretur, utq; non ſibimet modo ipſis, ſed etiam Eccleſiis ſibi concreditis proſpicerent, ne Auditoribus hoc veneno pedetentim imbutis, communi adverſario res ex ſententia cederet.

Hoc pacto dum ulcus Viſioniſtarum noſtrorum tactum, quovè in precio merces eorum, quas ubiq; venum proſtituunt, habendæ eſſent indicatum eſt; non habent quidem quod regerant, quibusvè rationibus ſcriptum iſtud refellant: non deſunt tamen ipſis calumniæ, quibus in noviſſimo ſuo Phantaſmatum centone ſexto, admodùm Reverendum Dn. Authorem, cum ſuffraganeis ſuis denigratum eunt, quaſi Spiritui S. reluctaretur, quaſi affingeret ipſis aliena &c. Cujus calumniæ falſitas, utut cuivis Viſioniſticorum Scriptorum judicioſo, ac præpoſteris affectibus præconceptisq; opinionibus vacuo Lectori, ad oculos naſumq; (quod dicitur) pateat, tantumq; non palpabilis ſit, ut ita Sycophantis reſpondere, non omninò neceſſarium videri poſſet; Tamen ne ſilentio noſtro planè triumphent, & undiquaq; trophæa conſtituant, ſimplicioresq; hîc hæſitent, & quâ à parte ſtandum ſit animo fluctuent: præter alia, quæ in cauſæ hujus, quæ non tam ſuâ, quàm ipſius Jeſu Chriſti eſt, vindicias, luci uſuræq; publicæ, ipſe Reverendus Dominus Præſul deſtinat: hanc operam mihi committere ipſi placuit, Ut

quin-

quintam partem sive centonem visionum G. Reichardi (à Clarissimis illis Theologis, qui rei visionisticæ dolos denudarunt, adhuc intactum) enucleando, horridos illos errores, quibus eundem author differcit, detegerem, quò ingenium genij illius Reichardici, & scopus ad quem suis istis offuciis colliment, sistantur in aprico & propatulo.

Hoc ipsum jam in Spectatissimo hoc vestro, Lectiss. & Exopt. Audit. consessu, dictione succinctâ & perspicuâ conabor efficere expeditum.

Vos proinde ut auribus attentæ auscultationis operam mihi navetis, & benevolentiæ vestræ aurâ orationis meæ velis adspiretis, reverenter & officiosè rogo.

Cùm de auro aliovè metallo disceptatio oritur, sitnè illud genuinum aut spurium, hanc litem componit aurifaber, assumpto auro (aliovè, id, de quo controvertitur, genus, metallo) quod novit generosum & utrumque in coticula confert: si controversum, probã bellè suffert, in condigno habetur precio, si non, secus. Cum litigium de pariete vel muro inter structores exoritur, sitnè rectus an curvus? ad amussim recurritur, quo hoc ipsum dignoscitur, & finis controversiæ imponitur.

Inter Theologos cùm de hoc vel illo dogmate controversiæ funiculus ducitur, multis vitiligiis neq; opus est: Ipse enim Sp. Sanctus, illius probandi normam in manus porrigit: Ad Legem, inquiens; & ad testimonium, quod si non dixerint secundum verbum hoc, non erit eis matutina Lux. Quibus verbis seriò monet JEHOVA, quod de quocunque dogmate, sententia, aut traditione cùm disceptatur, non peti debet judicium ex ore Romani Antichristi, nec ex glossis Calvini alte- *Esa. 8. v. 20.*

alteriusvè hæretici, nec etiam ex hujus vel illius Enthusiastæ somnio, aut cujuscunq; incertæ indolis dubiæq; fidei spiritus eloquio; sed ipsam sententiam Spiritus Sancti in S. Bibliis expressam, trutinam esse infallibilem, cui quod convenit amplectendum, quod disconvenit rejiciendum: hoc ipsum & plurimis aliis sacrarum Tabularum elogiis adstruitur, & ipsius Christi Sanctorumq; ejus Apostolorum exemplo statuminatur.

Matth. 22. 29 Luc. 10. 24. Job. 5. 46. 1. Cor. 15. 3. Act 6. v. 22.

Hoc cum ita sit, non ægrè ferat Georgius Reichardus, quod ego examinaturus quintam hanc visionum ejus partem, ad stateram & æquilibrium Revelati verbi Dei, sive Doctrinæ infallibilis Spiritus Sancti, eam appendo ac libro; cum & ipse aliquoties clamet, *se Spiritum suum juxta illud Apostolicum apophthegma velle probatum iri.* Hoc autem dum facio, video has ejus visiones ad Divinam illam probatissimam libram ne ex semisse quidem quadrare, *hoc est*, eas majori ex parte verbo Dei salutifero non saltem dissonas; sed etiam plane contrarias esse; toto autem ex asse fermè congruere cum dogmatibus malè feriatorum illorum hominum, qui se illuminatos Theosophos mirabiles, novos Prophetas &c. vocant; communiter autem *Fratres rosea cruci, VVeigeliani, Menniste &c.* audiunt.

Horum nefaria dogmata in hoc centone & passim incrustantur, & assensum iisdem ac suffragationē toto ab orbe fœnerari authoris conamen est. Cum igitur

Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se:

Breviter inprimis audiamus cujus farinæ sit istorum; si Diis placet; novorum Prophetarum doctrina, dein quo pacto eadem in hoc *visionum centone* interpolatur ac inoculatur.

Quod

Quod igitur *doctrinam* illam *Mennisticam* attinet, est illa nihil aliud, quàm sentina quædam omnium hæresium, quæ unquam in mundo extiterunt. Ac primò quidem suffragantur illi *Papistis*, docentes apostasiam ad Papismum, non esse damnabile aliquod peccatum: bona opera esse ad salutem simpliciter necessaria: justitiam salvificam propter eadem homini acquiri: peccata in hoc seculo severa corporis castigatine aboleri, quædam etiam peccata in futuro seculo remissum iri, utpote quæ igne expiatorio (quem unà cum Pontificiis incendunt) expurgabuntur.

Cum *Calvinistis* consentiunt, docentes, Christianorum non esse disputare de artic. fidei; Adamum creatum esse pronum ad lapsum; Corpus & sangvinem Christi in Cœna realiter non esse præstò: & dum improbant Ceremonias Ecclesiasticas in Sacramentorum administratione usitatas.

Adstipulantur *Photinianis* docendo, in Deitate saltem unam Personam esse: Christi unam saltem, nequaquam duas naturas esse: officium Christi sacerdotale in eo tantum consistere, quod corpora Christianorum instar panum propositionis sistat; orationem ceu thus in cordibus exsuscitat; lumen septem spirituum Dei accendat: ubi potissima & vera officij Christi sacerdotalis functio non subticetur modò; sed etiam pernegatur. Porrò *cum iisdem* tradunt, quod Christus non omnia in Adamo amissa restituit: quod Adamus ante lapsum sapientior non extitit moderno aliquo homine: quod idem mortalis creatus erat: quod fides Christianorum propriè sit obedientia quædam erga legem & præcepta Dei: quod Cœna Domini non sit sacramentum; quod Baptismus sit saltem externum quoddam

opus, quod intrinsecus in homine nil quicquam efficit.

Cæterùm concinunt cum *Anabaptistis*, *Svvenckfeldianis*, & ejus furfuris aliis sectariis, prætendendo script. S. saltem allegoricè, & non secundum literam esse explicandam: in Scholis & Academiis non esse studendum. Christianos adipisci salvificam Dei, rerumq; Divinarũ cognitionem à Deo immediatè: Baptismum esse externum quid, ad cultum Dei, utpote qui internus est, non pertinens.

Consonant cum *Sabellianis Praxëanis Nöitianis, Patripassianis*, docendo in Deo saltem unam esse Personam, eandem vero sortiri diversa nomina: & uti homo, eorum sententia, tribus constat partibus, anima, corpore & spiritu; ita se habere ajunt Trinitatem Divinam.

Colludunt cum *Valentinianis* & *Chiliastis* tradendo, quod Christus carnem suam cælitus tulit, minimè vero de sangvine Mariæ Virginis: item quod Christus quâ substantiam suam, reliquæ humanæ carni prorsus dissimilis sit: & præterea, quod Christ9 ante cõsummationem seculi, regnum quoddam terrestre erecturus sit, in quo Sancti rerum potituri sunt mille annis.

Sententiæ *Osiandristarum* calculum addunt statuentes, hominem justificari per essentialem Dei justitiam homini inexistentem.

Subscribunt etiam *Flacianis* adstruentes, quod homo substantiali transmutatione regeneratur.

Deniq; *Judæorum* tuentur deliria, dum asserere non verentur, quod Messias nondum venit, sit autem posthac venturus, Judæosq; seculari quadam majestate ac imperiali dignitate donaturus; proinde Jerosolymam rursus extruendam, Judæosq; in terram Canaan reducendos, fingunt.

Quin

Quin & *Turcis* ac *Gentilibus* assentiuntur adseverando, ad æternam salutem non esse necessarium; Christi ejusq; verbi ac Sacramentorum cognitionem ac fidem habere; cùm qui piè vivit sine Christi cognitione salvari omninò possit: atq; hanc veram esse fidem ac religionem, quā omnes homines Christiani, Judæi, Turcæ, & Ethnici communiter habent.

Hisce deliriis scripta istorum illuminatorum: *Templi Domini Mysterium*: *Speculum sapientiæ & veritatis*: *Tuba Pœnitentialis*: *Aurea Clavis Davidis*: *Prodromus æterni Evangelij, seu Chilias sancta*: *Christianus simplex, &c.* suffarcinata scatent.

Quid amplius impium, absurdum, blasphemum eructare potuerit Diabolus? Auditis hic, L. A. nullam partem Christianæ nostræ religionis, nullum caput, articulum nullum intactum, incontaminatum! fundamentales evertunt articulos, evertunt in iis fundatos! Qui ergò cum tam profligatæ impietatis hæresiarchis vel in singulis, vel in plerisq; consentit, illumnè divinum Virum? ac Spiritu Sancto collustratum Prophetam salutaveritis? Spiritum, qui dogmata tam impia, tam absurda, tam contraria Divinis scripturis, tam in nomen Dei blasphemus suggerit, sanctumnè? & cælitus à SS. Trinitate missum existimaveritis? an non potius ex imo inferni barathro profectum censueritis? ita reor.

Jam verò Reichard benè magnâ horum errorum & blasphemiarum parte, quintum hunc suarum visionum centonem (de 4. prioribus, & sexto novissimo, nihil jam dico, quos etiam pulchris ejusmodi flosculis ornavit) confercit, proq; Divinis oraculis eosdem orbi Christiano obtrudit, ut jam è dicendis percipietis, L. A.

hinc

hinc de totô hoc negocio non difficilis vobis factu erit censura.

Nimirùm postquam in limine ovilla se insinuârat pelle, porismata, singularum suarum primipilarium visionum faciendo adhortationes ad pœnitentiam, Evangelicasq; promissiones de gratia Dei erga pœnitentes; mox instar soricis se prodit, quorsum collineant speciosæ istæ conciones pœnitentiales patefaciens, videlicet ut se, ceu genuino pœnitentiæ præcone in Orchestra locato, ordinarij & legitimi Ecclesiæ Ministri actutùm exsibilentur.

Huic rei quantum potest frigidam suffundit; *Svvenckfeldico*, *Anabaptistico* ac *Mennistico* more taxans, ac nullis non conviciis proscindens ac mactans sanos Ecclesiæ Doctores, vocans illos rabidos canes, prophanatores templorũ, tenebriones ac lucis osores, ea sc. propter, quod lampyrides suas visionisticas, non ut cælestem divinamq; lampadem, tutæq; viæ indicem lucem suspiciunt.

P. 51. Suam etiam immediatam quam jactat vocationem, vocationi ordinariæ multis parasangis anteponit: hanc humanam saltem ac mundanam, illam autem solùm Divinam esse nugatur, & humanitùs (suâ sententiâ) vocatos, in perpetuo versari ait timore ac terrore ne à statione suâ dimoveantur; se autem & suos complices securos esse, nihil tale reformidantes. Prætereà ordinarios Ministros ventri saltem suo velificari calumniatur, cum interim (suâ prætensione) sint inexplebiles atq; insaturabiles. Porrò *superbos Pharisæos* eosdem vocat, qui seipsos inflant, & magis Mammonæ & ipsi Diabolo, quàm Domino in sua Ecclesia serviunt.

Pag. 54. In seqq. dicit; Deum non requirere tales homines in offi-

in officio docendi, qui mundo & scripturæ studuerunt (hæc duo ipsi pari passu ambulant) *minimè omnium*, inquit; *Ipse enim satis doctus est; spirituq; suo, quos vult, docere potest.* [Nimirum hæc est ratio illa panifica, quâ Diabolus Filium Dei tentavit, quod qvum *ex lapidibus* potuisset, utpote Omnipotens, *panes facere*, idcircò esurire absurdum fuit. Miror autem cur non *Reichard* eandem ob rationem, quotidiè cibo potuq; abstineat eò, quod posset illum Dominus sine his sustentare.] Deniq; pergit blaterando, *quod illi non sint idonei præcones pœnitentiæ, qui verbum saltem* (id est, Scripturam Sacram didicerunt: isti inquit, nihil aliud sunt, quàm *Discipuli Prophetarum, & non possunt*, ait, *percipere ea, quæ sunt Spiritus DEI: stultitia ea sunt ipsis* (pergit) *& non valent apprehendere.* (tàm appositè sc. Apostolicas novit allegare, & materiis competentibus applicare sententias.)

Matth. 4.

pag. 85.

Tum invehitur in ordinarios Doctores, *quod negligunt Scripturam Sacram ita ut cogatur DEVS extraordinarios prophetas mittere. Nec eos negligere saltem, sed etiam contemnere scripturam Divinam*, ait; *hanc q. eos nec intelligere, nec petere à DEO intelligentiam eius, uti Daniel fecit*, criminatur; *secundum propria eos cerebella de Scriptura Sacra* judicare asserit, *& opinantur*, inquit; *sè in utero materno omnem scientiam sacram deglutivisse.*

pag. 90. & 91.

Cavillatur etiam scripta Ecclesiastica: dicitq; *id genus scripta apparere saltem bona quasi Angelus aliquis edidisset; Ab eorum tamen lectione omninò cavendum esse* monet. *Nam talium scriptorum Authoribus, dicet aliquando Dominus: Frustrà me colunt, &c. Non igitur ullum librum alicujus monenti esse existimandum est*, inquit; *prater*

ter sola Biblia: *Nisi fortè sit aliquis liber, qui nullas humanas vanitates continet* (putà qui saltem visionistica crepat, & angelicas jactat revelationes) *Hocq; solum esse* ait
p. 91. *discerniculum, quo dignoscenda scripta bona & sequioris notæ styli, nempè simplicitas. Elati isti Spiritus* (notat eos, qui non ipsi similes idiotæ sunt) *sunt ait à Diabolo. Et scripta ista* (polemica) *alios* (visionistas puta) *perstringentia, sunt* inquit *indolis Luciferanæ, olimq; coram tribunali Christi confundentur & scriptorum talium authores, & fautores.*

p. 124. Postremò cavillatur Concionatores modernos, *quod Scripturam Sacram obtorqueant: Evangelium in emolumentum & utilitatem suam propriam interpretentur. Rapere eos* dicit *domos viduarum, nil posse ob Nomen Dei perpeti, nullo bono spiritu duci, sed spiritu avaritiæ, superbiæ, fornicationis, lucri &c. Spiritu suillo, Spiritu blasphemiæ, invidiæ, obstinatiæ, &c. Imò irrecensibiles dicit esse eorum enormitates.* Concludit ergò *eos non esse discipulos*
p. 123. *Christi; verùm Laurent. Matth. verum Andream vocat, qui auspicatò ejecturus est rete, quo irretientur & capientur homines. Hunc Laurent. Matth. se mittere* ait, *sicut ipse à DEO missus est. Optat autem ut Dominus, nigros illos sacerdotes Baaliticos,* die schwartze Baals Pfaffen (hoc honorifico titulo ornat sinceros Doctores Evangelicos) *pessundet, & se suosq; albo inductos ad præconium novi æterni Evangelij inauguret.*

Hæc & plurima alia convicia, non in Doctores *hæreticos Papistas, Calvinistas, Photinianos &c.* Sed universim in omnes & quoslibet, cujusvis confessionis ac religionis ministros, qui sua non amplectuntur phantasmata evomit. Singula hæc si quis cum perditissimæ

& sce-

& scelestissimæ novorum Prophetarum cohortis scriptis conferat; non ovum ovo magis, quàm hæc illis congruere deprehendet: Quippe illuminati isti (ut se ipsos vocant) omnes in universum doctores Ecclesiasticos, vocant: *Diaboli sobolem, canes, sues, carnaliter sapientes, humanitùs doctos, horridos lupos, fures, homicidas, mercenarios, Diaboli legatos, servos & instrumenta; conscientiarum carnifices ac tortores, operarios malos, viperas & basiliscos, blasphemos, sectarios qui nullum spiritum habent, stultos, mendaces, rabidos canes & pessimas vulpes, talesq; qui in ignorantia, imprudentia & incredulitate à Deo & Christo abalienati versantur*: & quæ sunt sexcenta alia in legitimos, & à Sp. S. ordinariè vocatos Ministros Ecclesiasticos congesta convitia, quibus libri eorum, in publicam lucem emissi, sunt refertissimi.

Libros porrò Symbolicos, & scripta Ecclesiastica eodem hi fanatici homines, quo Reichard, notant carbone, docentes: quod Articuli isti, qui de *Dei ejusq; essentiæ & voluntatis, Christi ejusq; Personæ ac meritorum verbi & sacramentorum* (quæ nos vocamus) *cognitione* tractant, imò quæcunq; fidei articuli dici consveverunt, homini Christiano scitu necessaria non sunt. DEus per ejusmodi articulos non cognoscitur; nec quærenda salus in cognitione aliquot articulorum; neq; Deus ob ignorantiam hujus vel illius articuli quenquam reprobat. Sunt enim articuli isti *animales, carnales, & inventa humana: sunt mera insipientia, imò stoliditas, error, mendacium, abominatio & perversitas.*

Percipitis, C. A. quod visionista noster, calumniando legitimos V. D. Ministros, atq; sugillando scripta Ecclesiastica institutionem sanæ Religionis ac Christianismi

nismi nostri complectentia, eundem cum novis Stygiis Prophetis movet lapidem. Cæterùm eorum, quæ in Ministerium, & scripta nostra dogmatica, eructant conviciorum enumerationem, in vestrâ præsentiâ L. A. instar refutationis esse reor; supervacaneumq; duco, sacrum verbi Ministerium, ab eorum insulsis ac immeritis criminationibus, multis verbis vindicare; utpotè quod apprimè novistis ab ipso Spirit. S. tot elogiis, encomiis atq; præconiis in sacris literis ornari, in iisdēq; appellari; *sinceros Evangelij Præcones, Angelos pacis, servos Christi & dispensatores Mysteriorum ejus &c.* vos non latet.

Præterea ad *libros symbolicos* quod attinet, nemo non novit, quod qui sanæ nostræ religionis articulos, in iisdem contentos, ignorat; Christianâ fide in totum & solidum destituitur. Quilibet enim eorum, est pars seu membrum doctrinæ nostræ Christianæ; utpote quæ nihil aliud, quàm istorum omnium articulorum comprehensio est, ita ut quodcunq; sit in doctrina Christiana, illud vel est *fidei articulus*, vel *quoddam ad aliquem fidei articulum pertinens.* Qui igitur omnes articulos fidei rejicit, ceu *terrenos, carnales, nugamenta humana &c.* annon is totam Doctrinam Christianam rejicit? imò quid ulla hæresis est aliud, quàm unius alicujus vel plurium artic. fidei corruptio & depravatio? Et annon in ipsa Script. S. expressè damnantur, qui aliquem fidei artic. fundamentalem pervertunt. *Nicolaitæ* sanè, qui de DEO & conjugio (referente historia Ecclesiastica) perperàm docuerunt, à Filio Dei in Apoc. vocantur *sedes & habitaculum Satanæ, contra quos Dominus se gladio oris sui depugnaturum* asseverat. Quid, quod *Hymenæus, Philetus*, & *Alexander*, qui negarunt resurrectionem, ab Apostolo *Satanæ* traduntur.

Euseb. l. 3. Hist. Eccles. c. 29. Apoc. 2. v. 15. & 16. 2. Tim. 2. v. 17. 1. Timot. 1. v. 20.

Est

Est proinde hæc prima, eaq; satis magni momenti ratio, ob quam Visionistam hunc, pro Divino aliquo Propheta, habere non possumus; quod ordinarium Verbi Ministerium tàm diris proscindit convitiis; ejusq; authoritatem, quantumcunq; potest elevat; purioraq; scripta nostra dogmatica atro carbone notat. atq; pro *humanis*, imò *Diabolicis* figmentis habet & reputat; suam verò suiq; similium authoritatem asserit, se illosq; solos audiendos, clamat. Ecquo enim evidentiori documento ostendere nobis potuit, offucias istas suas infernalibus è tenebris traductas esse? Non heri sanè aut nudiustertius hoc ipsum primum attentare cœpit Diabolus, quò sincerum Dei Verbum, ejusq; ordinarium Ministerium, ita exosum atq; contemptum redderet. Mille jam anni & amplius sunt, postquam *Simon Samarita*, & *Saturninus quidam*, hoc idem aluerunt monstrum. Post illos *Gnostici*, *Marcionitæ*, *Helcesaitæ*, *Samosateniani*, & *Manichæi*, in eodem hæsere luto. Et quid aliud superiori seculo per ministerium B. Lutheri, luce Evangelij, sibi voluit factio *Anabaptistica*, *Svvenckfeldiana*, ac *Novorum Prophetarum Cygnæorum*, quorum frequentem in suis scriptis mentionem facit *B. Megalander*?

Euseb. l. 4. c. 7. c. 8.

Idem l. 6. renascente c. 28. alibiq;.

Ne autem diutiùs in hac dudùm Orco adjudicata hæresi refellendâ immoremur; ad alia Visionistæ nostri deliria perstringenda digrediamur.

Proximum itaq; huic blasphemiæ locum sibi vendicat mendaciũ de *iteranda ac nova Spiritus Sancti effusione*; & novi cujusdam, à jam prædicato, inq; Divinis Bibliorum Tabb. consignato Verbo Dei diversi, nihilominus æterni Evangelij in universum mundum promulgatione.

P. 59. & 60. Hoc mendacium ita conatur interpolare: prætendit sibi in visione quadam conspicienda data *tria flumina; eaq; sibi ab angelo suo declarata, quod per primum, diluvium illud universale; per secundum, Baptismus; per tertium verò posthac futura Spiritus Sancti effusio, quâ factâ, non Iudæis tantùm, qui jam instar cadaverum sunt, manifestabuntur ea, quæ hactenus tenebris obruta mundum latuerunt* (puta æternum Evang. Visionisticum, uti alibi explicat) *at illa confidenter & libero ore exsertent atq; annuncient; verùm etiam illi, qui jam instar ovium, coram tonsoribus non audent os aperire*, hoc est, timidiores factionis Visionisticæ velites, *simili animositate armabuntur.*

Hæc tanta mysteria se rectiùs tradere asserit, quàm illi reformati, qui *unum* tempus Deo Patri, *alterum* Filio, *tertium* Spiritui Sancto tribuunt; *quam sententiam sibi non constare ait eò, quod Pater & Filius unum sunt.* Vah Reichard, non quod pueri in faba reperisti!

P. 141. De æterno suo Evangelio hæc quodam in loco habet: *Nobis* (mihi nempe Reichardo & tibi Laurent. Matth.) *illuxit salutaris gratia luminis Patris, imò æternum Evangelium nobis claro ore Christi cœlitùs traditum, quod hactenus homines obtenebrarunt versutiâ Diaboli, qui potens erat in arte mentiendi.*

P. 142. Et paulò post dicit; se vidisse *angelum per medium cœli volantem, ferentemq; librum, in quo æternum Evangelium grosso ac claro stylo ipsius Dei digito descriptum extitit, quod etiam promulgandum est per sanctos Dei nuncios orales, quos æternâ suâ potentiâ, sine humano auxilio electurus & instructurus est.*

Quid autem qualeq; sit æternum istud Evang. ex-
P. 145. sertè non explicat. Verùm sufficientem ejusdem, ut & sacerdotij suorũ asseclarum declarationem, se mutuo reser-

reservare colloquio, in seqq. dicit. Intelligi autem isto specioso nomine, nihil aliud, quàm ipsa deliria ejus visionistica, ex verbis ejus facilè concluditur. Quippe diversum quiddam à Prophetica & Apostolica, quam singulari Dei beneficio habemus, doctrinâ esse asserit. Hactenus enim illud latuisse absconditum; jam autem sibi suisq; innotuisse prætendit. Quod enim Doctrinam Evangelicam Spiritus S. attinet; illa utiq; non est abscondita, potissimùm nobis Svecis & Germanis, quibus in prioribus dicit, *posthâc demùm lucem æterni istius Evangelij à sole quodam visionistico accensum iri.* Centum jam & amplius anni sunt, postquam discussis tenebris Papisticis, quibus veri verèq; æterni Evangelij D. N. I. C. lux offusa erat, nobis clarissimè affulgere cœpit. Et suo quidem tempore protestatur Apost. Paulus, *se omne consilium Dei suis auditoribus revelâsse & enarravisse.* Taceo quàm constanter & firmiter passim in suis Epistolis idem Apostolus adstruit, quod gratiosum illud de Domino nostro Jesu Christo Evangelium, quod anteà ab æternis temporibus quodammodo latuerat absconditum, suo tempore, eventum sortitis Prophetarum scriptis, clarissimè esse revelatum, idq; voluntate & jussu Dei in salutem omnium gentium. Quid quod ipsa veritas Christus Jesus protestatur *se omnia quæcunq; audivit à Patre suo, nota fecisse*, Joh. 15. v. 15. Diversum proin ab hoc Evangelio, esse Evangelium visionisticum necesse est.

p. 32.

Act. 20. v. 27.

Rom. 16. v. 25. 26. & alib. passim.

Non enim satis fuit Sycophantæ, legitimum, quantum in se fuit, exautorare Ministerium, illudq; toti mundo exosum atq; contemptum reddere conari; *aliud Evangelium* quoq; in locũ ab iis prædicati verbi surrogandum, *alius director* Spiritus effundendus, *alij Ministri*

nistri sufficiendi, quos partim *homines Judæos* præcipuè Levitas fore, pluribus in locis asserit; partim *seipsum*, &
P. 106. *Iohannem* Warner/ & *Davidem quendam Dresdensem*, (quos tres trium Ebriorum Principum exsuscitatores fore, nugatur.) Ferè autem primas partes hujus ministerij cuidam *Paulo* Wildenstein tribuit, quem valdè animosum atq; intrepidum sectarum ac dogmatum reformatorem, ad æternum Evangelium manuductorem, &
P. 30. novæ cujusdam Ecclesiæ plantatorem fore garrit. Hunc autem tantum Doctorem & Athletam, postea
P. 84. Apostatam factum, in *Persia* jam versari, & scripta visionistica refellere ac refutare queritur. Prout fidus ejus Apostolus Laur. Matth. quem ob animositatem Andream vocat, *Mithaviæ* in Dn. Superintendentis, ac Pastoris, nec non Consulis ac Senatorum aliquot Præsentia, rei visionisticæ fraudes ac dolos, quibus ipse deceptus alios decepit, confessus & exsecratus est, compromittens melioris viæ & vitæ initionem; utut postmodùm illum instar suis ad volutabrum rediisse constat, quod & suum Wildenstein facturum, loco allegato, se ait Reichard sperare.

Hac de re extat scriptum & narratio ipsius Superintend. Mithaviensis Dn. Pauli Einhorn.

Sed ne à scopo nostro eminùs recedamus, quomodò Visionista noster, ad asserendam *novam Spiritus S. effusionem*, & æterni sui Evangelij obtrusionem, triarios
Cap. 1. habeat Novos Prophetas sive Mennistas, audiamus. Ita ergò illi in Lib. quem *Sanctum Sanctorum* vocant, blaterant: *Spiritus Domini effundetur in universam carnem tempore diei septimæ, Sabbatiq; Dei: Et ita omnia Domino Sactificabuntur, qui etiam cum bestiis agri fœdus panget, quò ipsa eum glorificent.*

Cap. 2. De Judæorum universali conversione & æterno Evangelio, iidem in lib. quem *Speculum Sapientiæ & veritatis*

tatù nuncupant, ita ganniunt: *Convertimus nos ad Iudæos & Turcas, ad quos accepimus à Deo æternum Evangelium* 1. æternum bonum nuncium, quod nimirùm Deus eos in peculium & possessionem sibi eligere vult in perpetuum, multò gloriosiùs constantiùs & veriùs, quàm olim; eisq; mittere vult Messiam, qui eos ex universa eorum captivitate, quâ inter omnes populos totius mundi detinentur, liberaturus, & potenti manu signis & prodigiis in terram promissam reducturus est.

Hæc visionistæ nostri, ejusq; gregalium N. Prophetarum commenta, cujus sint odoris, facilè qui nasum habet subolfaciet. *Effusionem enim Spiritus Sancti* quod attinet, cujus futuræ spe simplices ac insipientes lactant: Ea secundum prisca vaticinia & Filij Dei promissionem, dudum facta est, primo nimirum Christi ad cœlos adscensionem sequente die Pentecostes, prout illo ipso die, de Prophetiæ Joëliticæ implemento, jam tum facto, Divus Apostolus Petrus, Spiritu Sancto implementi istius pignore plenus concionabatur. Hujus effusionis iterandæ Script. S. nusquam meminit: Quicquid igitur extra SS.am adseritur, eâdem facilitate, quâ asseritur, meritò rejicitur: veluti scitè & rectè monet Doctor quidam priscæ Ecclesiæ.

Joël. 2. Johan. 15. & 16. passim act. 1. & 2.

Æternum quoq; illud *Evangelium*, quod *Visionista noster & hi*, quibus supparasitatur, *Pseudoprophetæ* promittunt; quia per superius dicta, diversum esse à sancto illo, quo benignitate Jehovæ gaudemus, Evangelio necesse est: aliud autem verum Evangelium dari impossibile, *teste Apostolo* est: idcircò judicio ejusdem D. Apostoli stantes, pro maledicta & Diabolica illud habemus decipula. Luce enim meridiana clariora sunt verba ejq in Epist. ad Galatas, quod reverâ non detur aliud Evan-

Gal. 1. v. 7. 8. & 9.

gelium, quàm quod illis de salute per Jesum Christum parta prædicaverat; aliud qui illis Evangelizaverint, *deceptores* eos, *& veri Iesu Christi Evangelij depravatores* vocat, horrendumq; maledictionis fulmen in tales pseudoEvangelistas vibrat, quicunq; tandem fuerint, *etiamsi ipse, aut etiam angelus de cœlo foret, anathema, & iterum anathema esset.*

Gravissimam hanc *censuram Apostolicam* susq; deq; facit *Reichard.* Undè liquidum est, quantæ sit improbitatis, quantæ impudentiæ, quàm desperatæ obstinaciæ!

Tertium delirium *Visionistæ nostri*, quo *quintum* hunc phantasmatum suorum *centonem* interpolat, est *assertio universalis Iudæorum conversionis, sacerdotij, Leviticæ restauraticnis.* Quod delirium, illum ex N. Prophetarum Lacunis hausisse, ex verbis eorum paulo superiùs allegatis patet: pluribus eorum in illam sententiam memorandis verbis, redimendi temporis, amatæq; brevitatis g. supersedeo.

Cæterùm hunc *errorem* adstruere conatur, nunc fabulando *primarios novi Evangelij præcones homines Iudæos*
P. 104. *fore*; nunc garriendo *tribum Levi non deletum iri, nam manus Dei sustentat eam in via recta ne pedes ejus titubent.* Nunc mentiendo *tribum istam non esse à Deo rejectam*, proindeq; ab hominibus non debere rejici quantumvis cœcutiat. Nunc *sibi suùq; assectis ac tribubus Levi & Beniamin optando pacem, & accretionem in cognitione Novi-æterni Evangelii*, quod angelum illis ex alto attulisse dicit. Imò eò impudentiæ quodam in loco progreditur, ut *hoc* 1647. *anno, universalem illam Iudæorum conversionem futuram esse* omninò statuat.

Hoc quoq; de commento quid censendum sit, longâ non opus est disquisitione. Nuspiam in sacris literis,

teris, talis Judæorum conversio & in Palæstinam recollectio adstruitur. *Multos Iudæorum aliquando ad agnitionem & fidem Iesu Christi venturos*, suo tempore prædixit Paulus: *in terram autem Canaan reductum iri*, nusquam prædixit. Id autem quod Apost. ominatus est, auspicato suo jam dudum gaudet implemento, in regionibus potissimùm Orientalibus, ubi sub persecutionibus Mahometicis, Judæi magno agmine testibus Historicis ad fidem Jesu Christi conversi sunt. Hoc verò tempore, an ulli veri Judæi sint, à magni nominis & judicij Theologis quidem dubitatur. Demus autem esse adhuc de illo hominum genere superstites; Quùm Dn. N. Jesus C. in Evangelio insinuare videtur, generationem illam, ante diem novissimum non planè desituram: demus etiam quod aliqui adhuc converti possint: remeatio tamẽ eorũ in Palæstinã, & recuperatio pristinæ Politiæ, quam adstruunt hi fanatici, cùm de ea nihil quicquam in S. literis, nugæ sunt gerris Siculis vaniores. Rom. 11. 26.

Porrò ut Novi Prophetæ perditissimè sentiunt & docent *de mortuorum resurrectione*, statuq; hominum in futuro seculo: Ita hic *Reichard* vel in hoc iis quàm maximè succenturiatur: Adeò horrenda circa hunc sublimem fidei articulum adstruens deliria, ut vel sola hujus articuli depravatione se Diabolico duci Spiritu satis abundè demonstrârit.

Novi sanè Prophetæ docent, elementare illud corpus hominis, quod hoc in seculo habitaculum atq; σκευαγῆον animæ fuit, non resurgere, sed redire terrenam & aqueam corporis portionem ita in eorum principia, ut æternùm ita maneant: sed aërea & ventosa (ajunt) portio, eorum videlicet qui damnabuntur, comitan-

tur animam ad infernum ibi perpetuò manſuræ. Eorum autem qui ſalvabuntur anima & aërea quóq; ac ventoſa corporis portio, non ſtatim veniunt in infernum ajunt, ſed manent in ſepulchro vel alio aliquo loco, quemadmodùm Propheta Samuel: ubi quidem ſunt in requie, & non tanget illos tormentum, ſicut ſcriptum eſt, inquiunt: interea tertiam (quam fingunt) hujus partem aſſervari ajunt in cœlo creato, ubi pro Juſtis cameræ & contignationes fabrefactæ ſunt, & id quidem usq; ad reſurrectionem primam quam vocant, quâ quidem reſurgent homines in aëreo & ventoſo hoc corpore, juxta quod ſimiles eos eſſe angelis aſſerunt: hoc autem tertium elementum aër videlicet, poſtmodum, priusquam in cæleſtia pervenire poſſunt gaudia, unà cum ipſa anima deponetur, & infernalibus flammis litabitur atq; tradetur: ſola autem tertia hominis pars Spiritus videlicet, induto tum cæleſti quodam corpore, ab elementari illo, quo prius veſtiebatur diverſiſſimo, cæleſtibus gaudiis fruetur.

Nonnè vobis, L. A. ad tantas blaſphemias, tanta, tam Diabolica deliria, tam horrenda deceptionum Satanicarum monſtra audienda, ſtat coma? an non exhorreſcit animus? an non aures occalleſcunt? hæc autem qualia & quantacunq; ſunt, quæ certè Diabolica ſunt, non dubitat viſioniſta noſter ſuo calculo confirmare. Non enim pudet illum aſſerere, *ipſum etiam Prophetam Eliam antequam in cæleſtia pervenire potuit gaudia, neceſſe habuiſſe corpus ſuum deponere*, quod nugatur *in tertio quodam Cœlo igneo calore abſumptum, & inſtar butyri in æſtu ſolari, colliquefactum eſſe. Idemq; eventurum* ait, *omnibus in extremo die viventibus: hi* inquit *in momento carnem ſuam deponent, & corporibus ſuis planè exuentur, ac privabuntur*, imò

P. 123.

de omni-

de omnibus, qui in cœlum beatorum venturi sunt, idem concludit. Expressè enim dicit, *quod nullus homo per fictitium ejus cœlum igneum penetrare potest, atq; sic nemo unà cum corpore suo in cœlum beatorum potest pervenire.* Hinc & *Paulum Apost.* negat *fuisse in tertio cœlo: nam si fuisset ait, utiq; lustratus & depuratus, h. e. carne suâ exutus atq; orbatus fuisset.* Ita nimirùm hoc impudentissimum animal, hic *Reichard*, oculos cornicum (quod dicitur) transfodere, ipsiq; D. Apostolo asserenti se in tertio cœlo fuisse, in os contradicere non veretur.

Præterea ut Mennistæ verba illa Apostoli: *Caro & sangvis regnum Dei non possidebunt*, secundum literam accipiunt, indeq; concludunt: *nullum hominem secundum corpus, in cœlum beatorum venturum*; ita hic propter eandem rationem *corpora salvandorum exurenda adstruit.*

Ne quis autem nefas ducat, ista sanctorum electorumq; Dei filiorum Corpora, tam horrido incendio atq; rogo depasci, dicit: *nullam carnem vel sanctam vel justam esse, ideoq; non de carne quid de illâ fiat, sed de Spiritu oportere esse sollicitum.* Proh Diabolica phantasmata! insanissima deliria! planèq; Satanica errorum excrementa! Quid solaminis amplius morituris relinquitur, si secundum hæc stultorum cerebellorum monstra, sanctissimorum hominum minima saltem particula Spiritus, (imò quæ minimè est aliqua hominis particula, si cum iis statuatur esse quid ab anima diversum. Acceptio, enim hujus vocabuli in sensu Physico, secundum quam disseritur de Spiritu insito vel influente naturali, vitali, animali; hic ipsis non renuentibus exulat) in cælestia perveniet gaudia? Amabo enim ito ad moribundum aliquem anhelantem, & cum mortis terroribus trepidè conflictantem, atq; ex Visionistæ hujus

Euporia profer ipsi argumenta consolatoria hujusmodi: *Confide & bono esto animo, jam quidem morieris,*

Et redit in cinerem quod fuit ante cinis.

Verùm quod olim resurget corpus, cælesti exuretur igne. Parvi verò id refert: *corpus enim omne, omnis utpote sanctitatis exsors, meliori fato non est dignum*: Annon ista funesta esset consolatio? annon eâdem miserum agonizantem in horrendum desperationis barathrum dares præcipitem?

P. 123.

O longè alia fuit *Jobi* consolatio, quâ Spiritus S. suggestione, se ad incitas redactum erexit: *Scio* inquit, *quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem videbo ego mihi, & oculi mei conspecturi sunt illum &c.* q. d. sit jam exulcerata, meramq; in saniem versa caro mea. Esto etiam, non meliores sperandas hoc in seculo vices: hoc tamen scio, certò credo & sum persvasus, quod propter merita vivi mei Redemptoris, olim de terra resurgam, & tunc mihi hæc membra mea, pellis caroq; mea, jam quidem existentia squalida & deformia, tunc formosissima ac pulcherrima restituentur, iisq; amplius non mutilabor: sed in glorioso isto corpore, lætissimâ Dei mei contemplatione & conversatione æternùm fruar.

Iob. 19. v. 25. & seqq.

Eâdem consolatione se animârunt pij illi *Martyres*, quorum *in altero Maccabæorum lib. historia* extat, *quod membra illa sua, quibus tum jussu Tyranni mutilabantur, Deus illis in venturi seculi vita restituturus esset*; restituturus, inquam, non ut illis denuò in cælesti aliqua pyra privarentur: sed ut ita perfecti homines animâ corporeq; integro constantes, beatitudine cælesti potirentur.

2. Matt. 7. per tot.

Non memoro, quàm patula porta securitatis & Epicu-

Epicureiſmi hoc extremè impio dogmate viſioniſtico panditur. Quorſum enim curaret, ut corpus ſuum in hoc ſeculo, *Spiritus S. templum, vas ſanctimoniæ, membraq; ſua viva Deo litanda victima eſſent*, qui ſciret, illa olim conſumpturi ignis cæleſtis pabula futura? Ecquid diſſvaderet cum impiis Epicureis debacchari, & ſcelera flagitiis atq; peccata piaculis cumulare? Quid etiam in illa Epicuri de grege porcorũ, quam grunniunt cantilena, atro notaremus obeliſco? *Temerè nati ſumus, & poſthac ita ſumus futuri quaſi nunquam fuiſſemus, propterea quod fumus eſt Spiritus in naribus noſtris, & ſermo ſcintilla è corde noſtro excitata, quo extincto corpus noſtrum redigetur in cinerem, & Spiritus quaſi aër fluxus diffundatur, &c. Adeſte ergo bonis fruamur præſentibus &c. nemo noſtrum noſtra ſit expers petulantiæ, ubiq; ſigna noticiæ relinquamus, quoniam hæc portio noſtra eſt, hæc hæreditas noſtra.* Sap. 2. v. 1. & ſeqq.

Ecce hi ſunt præſtantes illi fructus, qui de his tam generoſis arboribus colliguntur, *deſperatio* nimirùm *ſecuritas & Epicureiſmus*: quibus è fructibus juxta cynoſuram veritatis, cujus genij & indolis ſint arbores iſtæ, colligimus. O ſentes perditiſſimas! ô vepres nocentiſſimas! ô ſpinas! ô labruſcas teterrimas! peſſimas!

Jam tandem exiſtimatis, C. A. omnia Viſioniſtica piacula, ad tribunal noſtrum protracta, dignisq; pœnis mulctata eſſe? Id quidem & ego optarem. Sic enim ſuſceptum meum laborem exantlaſſem. Verùm reſtat adhuc intacta ſqualida quædam deliriorum, phantaſmatum atq; errorum ſentina atq; lacuna, ad quam exhauriendam Augiæ ſtabuli purgatorem deſiderarem. Concernunt verò iſta deliria partim *Philoſophica*, partim *Theologica dogmata*. p. 121

Cir-

Circa Philosophica dogmata inveniuntur ibid. seqq. deliria:

1. Primò, quod *aquilam suo volatu, non aëreum modò, sed etiam stellatum cœlum penetrare* asserit; quod per tàm vastam & immensam intercapedinem, quæ est inter cœlum astriferum & globum terrestrem fieri posse, nemo in naturæ contemplatione non habuerit pro monstrosissimo mendacio.

2. Deinde quod *stelliferum cœlum infra putatitiam sphæram Solis* collocat; quod omnibus omnium tempp. *Mathematicorum* observationibus ac assertionibus repugnat. Instrumentis enim illi suis situm Solis longè inferiorem stellis Fixis, ut & Planetis ♄ & ♃ tam certò observârunt (prout illud etiam quilibet non planè lippus stellarum venator exquisitis adhibitis instrumentis deprehendere potest) ut quamvis de quibusdam aliis hypothesibus varient ac digladientur; hæc tamen assertio de stellarum ac planetarum situ, ac ad se invicem ordine, à nullo unquam fuit in dubium vocata: nec *Philosophus* aliquis tam perfrictæ frontis esse unquam potuit, ut de hâc tam evidenti re funem controversiæ duceret. Visus enim sensu, ut dictũ est, hoc deprehenditur. Sensum autem dimittere, & rationes quærere, ἀσθένεια τῆς Διανοίας, id est, intellectus imbecillitas est, inquit Scaliger.

3. Tùm quod *aliud solare, aliud stellatum cœlum* adstruendo, reales (ut vocant) *reveràq; distinctos in cœlo orbes sive sphæras* cudit: cùm tamen constet, omnium modernorum Physicorum unanimi consensu nixo firmissimis rationibus, quod cœlum non nisi unum uniforme & continuum corpus sit, ab inferiori concava (ut valdè ve-

dè verisimile) ad superiorem convexam superficiem, quæ aquis (*Mose & Regio Psalte testibb.*) clauditur.

Cæterùm penetrationis dimensionum, orbium intersectionis, reliquarumq; in Physicis absurditatum, quæ ex pluribus realibus orbibus adstructis seqvuntur, camerinam scrupulosè hic non moveo, cùm Phantastes hic non 3. orbes ut Eudoxus, nec 8. ut Aristoteles, nec 9. ut Connimbricenses, fingat, sed 2. saltem præter expansum nubium incrustat. Laborat interim & hæc assertio non minori vanitate, quàm reliquæ in Physicorum Scholis jam dum explosæ.

Postea quod *solem Sphæræ cuidam igneæ* affingit affigitq;. 4.
Hoc enim posito, ☉ per tria valdè diversa media esset adspiciendus, unde nunquam posset verus ejusdem locus observari (probantibus Opticis demonstrationibus) sicq; nihil certi de die horâ aut minuto alicujus ejus eclipsios prædefiniri posset, quod communi experientiâ refellitur.

Præterea quod *positâ tàm igneâ flagrantiq; sphærâ suprema aëris regio calidior mediâ, hæcq; infimâ esset.* 5.
Refellitur autem hoc ipsum & rationibus in Physica notis, & Experientia duorum celeberrimorum Physicorum Scaligeri & Zabarellæ: quorum hic quidem in Montis *Venerù*, (qui in agro Patavino altissimus est) ille autem in alîus præalti montis jugo die quodam æstivo apricati, sudoq; cœlo usi sunt. Descendentes verò nebulas udumq; circa montis medium offendêre aëra: ad radicem autem montis largos imbres cecidisse animadvertere. Ita se in singulis 3. aëris regionibus fuisse rati, singularum affectiones edocti sunt; quod cùm suprema satis temperatæ erat constitutionis, infimaq; pro ratione æstatis calida, mediam frigidiusculam experiebantur.

 Porrò

6. Porrò quod statuit *discipulos Eliæ vidisse illum adscendentem, cum jam in stellato cœlo erat*, illud rationi & veritati tam congruum est, quam tenebræ luci. Si enim exactissima subtilissima & exquisitissima habuissent instrumenta optica, idipsum nihilominus fuisset impossibile. Cùm enim stellæ quædam, quæ præterquam quod lucidæ, proindeq; aciei visivæ magis obviæ sunt, cum ipso etiam ingenti terræ globo magnitudine certant, vix conspiciuntur; quantò minus tantillum, & id quidem opacum corpusculum, quale fuit Eliæ & quodvis est humanum, tam vasta è distantia spectari potest? Taceo quantum hallucinatur dicendo, Discipulos Eliæ vidisse eum adscendentem, cum non nisi unus Elisæus ipsi adscensuro adfuit, eumq; adscendentem vidit, uti ex historia satis notum est Biblica, cujus se valde ignarum esse Sycophanta prodit.

7. Deniq; quid fictitio illo *cælesti igne*, qui ipsi etiam naturalis est, *mundum conflagraturum* nugatur? Posito enim quod talis ignis esset, quomodò posset istud defendere? Oggero enim quarè hic ignis non pridem adussit cœlum, stellas, aërem; consequenterq; corpora reliqua magis ustilia. Quicquid mihi hic respondet Reichard, absurditatem parit. Si enim respondet, jam Divinâ potentiâ inhiberi ustionem illam, usq; in diem novissimum; Insto quod hoc inde sequeretur in Physicis absonum; Præsentem mundi statum esse supra vel contra naturam, interitum autem ejusdem naturalem. Sin verò dixerit, cœlum & proximum aërem jam non conflagrare, quia materia ustilis non sunt, tunc autem concremanda quia Deus sic volet. Quæro adhuc, unde mihi probabit, quod omninò ab illo cælesti (quem adstruit) igne deflagrabunt, non autem

Ele-

Elementari aut ſupra naturali aliquo? reſpondente illo, ſe ita à ſpiritu ſuo edoctum; illo αὐτὸς ἤφα, contentus eſſe non poſſum. Spiritus enim iſte valdè ſuſpectæ eſt fidei.

Tandem in eadem Lacuna Viſioniſtica, ſeqq. convolutat deliria adverſus dogmata Theologica: Primò *quod Elias quoad corpus non pervenit in cæleſtem beatitudinem*, quod delirium ſuprà exploſimus. 1.

Deinde quod *Paulus tunc, quando Damaſcò appropinquavit, & terrore minacis alloquij filij Dei, ceu fulmine percuſſus, humi attonitus proſternebatur, ad tertium* illud *cælum* viſioniſticum *raptabatur: Et ibi nimij iſtius caloris aduſtione, viſu privatus eſt*: quæ omnia expreſſè & è diametro contrariantur ſacræ illi hiſtoriæ in Apoſtolorum Actis deſcriptæ, quæ talis raptus nuſpiam meminit, ſed planè contraria adſtruit, quod nimirùm *Paulus humi alliſus, audivit verba alloquentis Ieſu Chriſti, quem quoq; interrogans quid eſſet facturus?* non raptatus eſt ad cœlum usq; & ibi de ea re condocefactus; ſed *in urbem ſe conferre* juſſus eſt, ubi de quæſito eſſet erudiendus, atq; ita manuductus in urbem Damaſcenam, ibi à Diſcipulo Domini *Ananiâ* baptizatus, ac de novo munere edoctus eſt. Unde nec occœcatio illa Pauli à ſolari æſtu; ſed potiùs à vehementiſſimo ac intenſiſſimo illo fulgore, quo Paulus circumfuſus atq; perculſus eſt, juxta Phyſicorum illud: *Vehemens ſenſile lædit ſenſorium*, facta eſt. Quod & ipſe *Apoſtolus* exſertè & ingenuè de ſe fatetur & aſſeverat, ut in actis Apoſtolicis videre eſt. 2. *Act. 22. v. 11.*

Ἕκστασιν proinde illam Pauli raptumq; in tertium cœlum ſive Paradiſum, cujus ipſe meminit *poſterio. epiſt. ad Corinth.* non in hoc converſionis actu, ſed longè poſt facta fuiſſe, neceſſariò ſequitur. Non enim unicò hiſto- 2. *Cor. 12. v. 2.*

riæ allegatæ apiculus innuit, Apostolum ab hominum familiarium præsentia atq; conspectu abjunctum, atq; super astra ad cœlum aliquod Empyrëum elevatum fuisse; sed toto isto triduo, quo cœcus erat, & non edit neq; bibit, fuisse in domo hospitis cujusdam, nomine *Iudæ*, ubi eum Ananias convenit.

3. Præterea quod per tertium cœlum, cujus mentio fit in allegato ad Corinth. loco, fictitium suum Empyrëum intelligit. cùm potius ex eodem loco Epistolico
v. 4. patet, cœlum istud fuisse *Paradisum cælestem*, sive *locum beatorum*, qui *cœlum* 3. dicitur respectu *cœli stellati* quod
Luc. 8. v. 5. secundum, *& aërij* quod primum cœlum ordine à terra
Matth. 6. ascendenti dici meretur: secundum quod loquendi
v. 26. genus, Salvator vocat *aves*, *volatilia* cœli in historia Evangelica.

4. Porrò quod sanam doctrinam *de statu hominum in futuro seculo* pervertit, docendo corpora humana igne suo cælesti absumptũ iri. Quorsum enim corpora Electorum Dei à contagione peccati per mortem & resurrectionem perpurgarentur! quorsum fierent tam gloriosa, tam speciosa, tam clara, imò πνευματικὰ sive spiritualibus qualitatibus prædita, si horrendo isti fato concessura essent, quod igne cælesti essent consumenda? Quid? qvum hoc in ævo corpora filiorum Dei sunt *templa Spiritus Sancti*! imò *totius SS. Trinitatis!* Qvum Dominus tantam eorum curam gerat, ut *custodiat omnia ossa eorum, ita, ut unum eorum* (æternùm) non pereat! imò quùm *capillos eorum in numerato habeat ita ut unum eorum, ejus sine nutu in terram non cadat*, dum interim pro misero præsentis vitæ statu sint peccatis obnoxia. Consonum ergò Divinæ bonitatati? justitiæ? sapientiæ? potentiæ? & paternæ de creaturis suis curæ existimabimus

bimus esse, ut corpora ista sancta & à peccato & carnis infirmitatibus pura & immunia, imò glorioso corpori ipsius Filij Dei, docente Apostolo, conformia facta, diro isti igni exurenda tradet? ò delirium absurdissimum! impiissimum! Sed benè habet. Ipse enim Spiritus Sanctis in sacris literis Diabolicorũ horum commentorum fumos dissipat ac evanescere facit, gravissimè asserendo, *corpora electorum Dei, futura incorruptibilia.* Hoc enim positô, comburi ab aliquo cælesti igne in æternum non possunt. Combustio enim corruptionis species quædam est, ut rectè docent Physici: jam verò universim negato genere, corruptione scilicet, quod ea in glorificata ista corpora non cadet; negantur quoq; species, consequenterq; corruptio. Liceat mihi terminis Logicis, pro re nata, uti.

Hæc sunt absurdissima illa absurda, quibus *Visionista noster* & ipsi SS. Theologiæ & sanæ Philosophiæ bellum indicit, eôq; pacto ostendit se SS. Theologiæ & sincerioris Philosophiæ infensissimum esse hostem: contrà verò amicissimum socium novorum pseudoprophetarum, qui & SS. Theologiam & Philosophiam rejiciunt, pro commentis humanis, cœcitate, errore, mendacio, deceptione, stultitia, tenebris, incertitudine &c. habent: proindeq; in Scholis & Academiis studere vetant, uti è scriptis eorum patet. Prout etiam supra audivistis, L. A. quomodò Visionista noster consensionem suam cum fanaticis his apertè profitetur blaterando, Deum in Ministerio suo non requirere tales, qui mundo id est Philosophiæ, & literis i. e. S. S. studuerunt.

Sanct. c. 1. Specul. c. 5. &c.

Ne pluribus vanissimi hujus hominis deliriis recensendis ac refellendis aures vestras, L. A. onerem, hîc orationis fila abrumpo.

Ex iis igitur quæ in medium allata sunt, percepistis opinor, Candidiss. A. quod *Visionista noster Reichard in quinto hoc Visionum suarum centone*, non minus quàm *in prioribus* 4. satis superq; prodidit, quàm bono ducatur spiritu, quidvè Ecclesia Christi sibi polliceri, sperare atq; ominari habeat, si hunc Visionistam pro Divino aliquo Propheta, veroq; veræ pœnitentiæ præcone, hasq; *visiones* ejus pro Divinis revelationibus, ejusq; dogmata ceu sancta & infallibilia agnoscat, recipiat, colat, credat & observet.

In prioribus quatuor Visionum partibus, annotante celeberrimo Theologo Dn. M. Jacobo Stolterfoht 1. passim magnum & irremissibile peccatum facit, si quis visiones ac delira commenta ejus, pro Divinis oraculis non acceptat. 2. De Scriptura Sacra more Svvenckfeldico fatur. 3. Ordinarium ministerium calumniatur. 4. Scripturæ Sacræ expressè refragatur 5. sibi ipsi contrariatur 6. & deniq; visionibus suis fœnerari conatur, quod iis non competit. In hac *quinta parte* ut audivistis, L. A. partim eandem recoquit crambem, *Scripturam Sacram ejusq; studium vilipendendo, scriptaq; Theologorum Ecclesiastica suggillando, atq; seipsum pro vero pœnitentiæ præcone obtrudendo*: cum tamen pœnitentia illa, quam passim inculcat & urget, nihil aliud est secundum propriam ejus explicationem, quàm cultus honor & amor Visionistarum & negocij Visionistici, de-
P. 156. sertio verbi Divini, ejusq; Ministerij postputatio, noviq; Evangelij Visionistici inhiatio ac præstolatio: Partim alia nova deliria adjicit, qualia sunt commenta *de nova Spiritus Sancti effusione, de universali Judæorum conversione, inq; terram Canaan reductione, de novi cujusdam* (à vero illo quod Filius Dei è sinu cælestis patris attulit diversi

&)

& *hactenus occultati Evangelij promulgatione, perq; homines Iudaos in universum orbem propagatione.*

Quæ omnia cùm vanissima sint ociosorum cerebellorum monstra; multo adhuc vaniora, imò insaniora, orbiq; Christiano nocentiora deliria sunt, quæ obtrudit *de mortuorum resurrectione, statuq; hominum in futuro seculo*, impudentissimè simul & impiissimè adstruens, *homines vel sanctissimos totos cælestibus gaudiis non fruituros; sed corpora humana omnia, igne atq; calore tertij cujusdam cœli, concremanda atq; exurenda esse*, comminiscitur. Quo absurdissimo planèq; diabolico mendacio, percepistis, C. A. quantum in se quidem est, homines dulcissimâ adversus mortē consolatione quod spoliat, inq; impietatis, securitatis ac desperationis abyssum præcipitat.

Hisce omnibus superpondium adjicit, infausto partu horrendum quoddam errorum, commentorum, & deliriorum enitens monstrum, quo ut audivistis, L. A. & potissima pleraq; selectioris Philosophiæ evertit dogmata, & saniora SS. Theolog. conquassare studet fundamenta. Quæ omnia unumquemq; ingenuum, imò Christianum hominem non modò allicere, verùm etiam trahere, imò rapere possunt & debent, in Vatinianum quisquiliarum harum visionisticarum odium, aversationem, & fugam.

Universis hisce accedit, quod omnes atq; singulæ hæ visiones, talis sunt commatis, ut vel ab ipso Authore fictas, vel à Diabolo pictas esse, quilibet cordati maturiq; judicij lector reri firmiterq; concludere queat. Inter alia enim stylus horridissimus est. Hinc inde enim πρωτάσεις comparationum ponit, ὑποδόσεις verò P. 145.
negligit, sibimetipsi in omnibus ferè contrarius est. In

suâ

P. 122. suâ enim hæresi Lerna primùm dicit, *Eliam immorta-*
P. 123. *lem fuisse*: postmodum autem dicit *fuisse enectum*! & sanè
P. 145. in alio quodam scripto dicit, eum *mox ut è terra elevabatur mortificatum; cujus rei evidens argumentum fuisse* garrit *pallij Eliani dimissionem*. Scilicet argumentum à baculo ad angulum, ut vocant. Pallium demisit, Elizæoq; misit: E. mortuus est! risum teneatis, Audit. Lectiss.

P. 69. Quodam in loco dicit, *hoc* 1647. *anno talem futuram*
P. 67. *pacem in Germania; ut ibi nullus strictus gladius amplius videatur*: *alibi autem* dicit *talem pacem non ante A. C.* 1654.
P. 72. *sperari posse*: & rursus alibi dicit *eam A. C.* 1655. *demum pangendam esse*.

P. 145. Porrò quodam in loco dicit, *Paulum in tertio cœlo per-*
P. 123. *purgatum lustratumvè fuisse*: alibi autem dicit *Paulum in tertio cœlo non fuisse; sed posito quod fuisset, fuisse glorificatum, hoc tamen factum fuisse*, negat.

Usq; adeò sibi in nullis constat, nec observat antiqvum aphorismum: *Oportere mendacem esse memorem*.

Deniq; ut sepiæ solent aquam emisso de corpore suo atro quodam humore obfuscare, ne videantur & à piscatoribus capiantur: ita sycophanta hic, ne omnes suæ, quas jactat, prophetiæ à quibusvis intelligantur, & sic in singulis mendax deprehendatur, plerasq; ænigmaticè profert, unam duasvè literas ambiguæ repræsentationis pro integris Vocabulis ponendo. Ita facit in phantasmate quodam, quod *clarissimam oculi pupil-*
P. 86. & *lam* ob insignem perspicuitatem scilicet appellat, re-
87. citaturum se ibi promittit *causas devastatrices Romani imperii; primamq; facit oculum aquilinâ acie prospectantem ac vigilantem in eiusdem ruinam* 2. *Papam & Luciferum*. 3. *Regem Leopoldum*: 4. B. 5. S. 6. M. 7. L. 8. BR. 9. SP. 10. J. quod Jesuitas notare interpretatur: cæterorum ænigma-

gmatum explicationem qui desiderat, ab *Oedipo*, vel etiam à *Tripode Delphico* petat.

Talemnè Prophetam aliquem Divino instinctu futura certò pronunciantem salutaveritis? annon potius pro Diabolica habueritis sphinge, utpotè quæ Divinæ voluntatis ignara, indeq; futuros eventus certò definire nescia, fumos saltem vendit, & ambiguis perplexis intricatis, instarq; cærei nasi flexibilibus redobludit ænigmatibus?

Ita abundè demonstrasse, cujus genii & ingenii est Visionista noster Reichard,

Sit satis; in placido placet hic requiescere portu.

Eat nunc ille, queraturq; Magistratui politico, injuriam sibi fieri, quod pro Svvenckfeldiani & Weigeliani furfuris, aliusq; pessimæ notæ Hæretico habeatur. Dicat hæc, & quæ hujus farinæ sunt alia, mero odio in se conficta esse. Ego enim omnium Visionistica ejus deliria legentium oculos testor, quod eadem talia sint, qualia jam pronunciavi.

Quod superest tibi, æterne Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, gratias agimus; quod lucem & lampada cælestis & S. S. tui verbi nobis in ærumnosa ac obscura hac miseriarum valle, tàm paternè prælucere facis: Cujus lumini admotas, Diabolicas has recensitas, hujusq; generis alias lampyrides, nil nisi meras tenebras esse pervidemus. Largire, ô Clementissime Pater, ut hæc lux tua tantisper nobis in caliginoso hujus vitæ deserto peregrinantibus præfulgeat, donec nobis in veram viventium patriam perductis, phosphorus salutiferæ tuæ cognitionis ac contemplationis oriatur, æternùmq; illucescat.

Conserva nos DOMINE in veritate tuâ: sermo tuus, veritas est. Amen!

DIXI.

Ad

Virum

Doctrinâ & Virtute Præstantissimum

DN. M. PETRUM SVENONIS LIDENIUM,

Scholæ Revaliensis Rectorem, & Consist.

Regij Assessorem

De Visionibus

G. Reichardi Perorantem

Προσφωνήματα.

QVaris, de Visis RICHARDI quæ mea mens sit,
Et quis Scriptorum, quæ divulgavit in orbe
Autor sit, Deus an Dæmon? Responsio prompta.
Scriptura est fidei, quæ nescit fallere, norma;
Dogmata, huic sanctæ quæ sunt conformia normæ,
Amplector totus; reprobo, quæ dissona, prorsus.
Ergò, quam jactat RICHARDVS, Visio vana est,
Et quæ dispergit Levipes, sunt dogmata falsa;
Quippè Sacrosancto disconvenientia Verbo:
Id quod LIDENIVS demonstrat voce sonora,
Et Scriptô egregio, quod de fallacibus istis
RICHARDI Visis in lucem protulit ipse.
Gratulor hinc tibi, vir Præstans virtute, precorq;
Numinis in laudem vergat labor ille sacratus,
Indeq; tu capias cælestis præmia vitæ.

Ex syncero cordis affectu fudit

Andreas Virginius, SS. Theol. D.

& Profess. in Regia Academia, quæ est Dorpati in Livonia, primarius, ejusdemq; p. t. RECTOR.

Ἄπα σοφῶς Σωτὴρ μύσταις ἐξηύδαε μύθῳ
Θεωτεσίῳ Πινυτοὶ, ἐμφρονέες ἐστε, σοφοί τ'.
Ὅτι πότ' ἐξαπτᾶν δολερῶν οἱ ἠπεροπευταί
Πειράζωσ', εἴων εἰμαῖ ἐσταμένοι.
Κωλίλλωσι, λύκοι κρύπτοντες ἐν εἰμαλι μήλων,
Ἐκ καρποῦ βίον γνῶτέ τε δυσσεβέα.
Ταῦτα σοφῶς φράζῃ Τύνη ΛΙΔΗΝΙΕ κεδνέ,
Ἀρμοστεῖ γε λόγῳ αἱρέσιας καθέλοις.
Τοῦνεκα κῦδος ἔχεις, καὶ ἀφθίτον ὄνομ' ἐσ' αἶαν,
Εὔχαρι ἠδὲ κλυτὸν, θεωτέσιον, ζάθεον.

Εὐμ. ἔγρ.

ΙΩΑΝΝΗΣ ΓΕΖΗΛΙΟΣ.

MEns mea præteriti repetit dùm temporis acta;
Colligit en retrò lapsos quæ gesta per annos.
Abogiæ meminit quanto fervore colebas
Musas, ardenti sitiens ibi pectore lympham
Aoniam, *Fautor LIDENI Clare Magister.*
Assiduè siquidem Clariis vigilare Camœnis,
Et studiis multas insomnes fallere noctes
Svevisti: Patriæ quò tandem commodus esses.
Sedulus hausisti Divini Oracula verbi;
Lingvarum mustum, Sophiæ laticesq; bibisti.
Hinc prodit mentis, pulchri ingenijq; politus
Fœtus, LIDENI, quo dogmata summa Jehovæ
Asseris: & calamo docto nova prælia Sectæ
Diluis & sopis, Scripturæ lumine nixus.
Perge piè posthac, quò te rapit Enthea virtus;
Communi Patriæ scriptis rata commoda mitte.
Sic laus florebit tua; famâ sydera tanges,
Egregiisq; ausis fies super æthera notus.

Τῆς Εὐνοίας χάριν Ταῦτα ἀσμένως προσέθηκε

M. Ericus A. Holstenius,
SS. Theol. Stud.

HOc Pietas sêclo fermè intermortua res est:
Hæresis, ac error, surguntq; pericula tetra!
Ipse quidem crepero Pietatem jactitat ore,
Et velut è rostris virtutem Curio laudat:
Turpibus ast ausis Christi sacra jura prophanat.
Hoccè tuis scriptis ostendis, Frater amande.
Perge docere Pios; Reprobosq; tacere, jube tu.
Sic astri instar eris fulgens post fata dierum.

Fratris honorandi vigiliis applaudere voluit

Gudmundus Lidenius.

O RICHARD Vates, quæ te dementia cœpit?
Lumen quis mentis fascinat, oro, tuæ?
Spiritus an verus? minimè; tu falleris altùm:
Spiritus è Larvis nosctitur ille suis.
Plurima, sit, videas: audis tamen ipse malignè,
Dum sequeris ductum πνεύματος horribilis!
Id Docti sacro monstrant è fonte salutis,
Qui vero veri stillat ab ore Dei.
Id Clarus Præsul JHERINGIVS, atq; Magister
STULTERFOTH scripto dexteriore probant.
Et jam Reichardi fallax opus, arte Magistri
Clarâ LIDENII nunc cadit, atq; ruit.
O RICHARD Vates, fallax ô spiritus ille!
Qui clarè è Larvis noscitur ipse suis.

Georgius G. Gezelius, Westman,

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

books2ebooks.eu

www.books2ebooks.eu

books2ebooks.eu

Kungliga Biblioteket

National Library of Sweden